



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

VI. An sensus externi circà proprium objectum falli possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

loco distanti (quo enim magis distat objectum, eo minus species feriunt potentiam) inter se comparante; vel etiam diversas pupillarum inter se divaricationes, quæ sunt majores vel minores pro majori vel minori objectorum inter se distantia; ad hanc intellectus seu sensus communis comparationem, communiter refugium etiam ipsi adversarii, ut quando dubitant, an Petrus, verbi gratia tale objectum viderit, talem pulsus audiverit, &c. conferunt enim per intellectum, vel per sensum communem dispositionem præsentem corporis, oculorum, & aurium ipsius Petri, cum ea dispositione corporis, oculorum, aurium, &c. quam habere solet, dum videt & audit, & ex illa collatione cognoscunt visionem & auditionem Petri, quæ tamen in se & ratione sui non emittit speciem visualem aut audibilem, nec modificat speciem sensibilis proprii, quia ad extra nihil agit.

LXVI. Vergebis, si simul cum entitate coloris non videatur ubi coloris, ut quid boves pontem transcurrentes in aqua repræsentantur cum dorso cælo affixo & pedibus in aëre, & sic progredi?

LXVII. Respondeo, quia simul cum specie bovis in aqua habemus speciem cælorum, & sensus communis per collationem illarum inter se cognoscit boves habere dorsum versus cælum.

LXVIII. Obijcies 3^a, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: atqui intelligimus omnia sensibilia communia ab Aristotele allata; ergo, &c.

LXIX. Respondeo distinguendo majorem, nihil est in intellectu, quod prius secundum se & ratione sui, non fuerit in sensu (scilicet externo) nego majorem: negationes enim & entia rationis sunt in intellectu, secundum se tamen, & ratione sui, nunquam fuerunt in sensu externo: secundum aliud & ratione ejus, quod præbet occasionem intellectui aliud ex ipso sensato inferendi, concedo majorem: unde dic nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo ipsum occasionante, bene autem quod prius non fuerit in sensu externo ipsum sentiente; quod clare insinuat D. Thomas 1. p. q. 84. art. 7^o. *Aliis etiam incorporeis substantiis, in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideo cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmatum corporum, licet (nota) ipsorum non sint phantasmatum.*

LXX. Adde quod major alio modo distingui possit, scilicet, nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu externo vel interno occasionante, concedo, externo nego; cum enim sensus internus sit supra sensationes externas reflexivus & earum inter se comparativus, potest ex illis aliquid colligere & inferre, quod postmodum potest intellectus cognoscere & inde aliud, illud autem collectum & illatum secundum se & ratione sui non fuit in sensu externo sentiente, sed occasionante tantum, quomodo lubenter admittimus nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

LXXI. Obijcies 4^o, ridiculum est me non videre Petrum currentem, quod sequitur ex nostra Resolutione, ut quid enim vacæ in pratis & oves in campis currunt post invicem, nisi quia vident priores currentes?

LXXII. Respondeo ridiculum non esse, non videre quod est invisibile, ut est cursus; distinguo tamen assumptum, ridiculum est me non videre Petrum currentem materialiter & secundum se, con-

cedo: formaliter & secundum cursum, nego assumptum, quia ille invisibilis est, sensibilis tamen: unde dum video materialiter currentem, sensus internus ex comparatione diversarum sensationum à diversis speciebus aliter atque aliter in oculum incidentibus causatarum sentit Petrum currere; & sic est de vaccis & ovibus, ex quo moventur ad similiter currendum.

D V B I V M VI.

An sensus externi circa proprium objectum falli possint?

ANte Resolutionem LXIII. Suppono falsitatem hanc non proprie sumi prout est falsitas compositionis; sed improprie, prout est repræsentatio objecti aliter quam sit; clara enim est sensum non posse falli primo modo, quia talis falsitas est propositionalis. Hoc supposito, sic

R E S O L U T I O I.

LXXIV. **D**ico 1^o, sensus externus circa rationem communem proprii sensibilis falli non potest.

LXXV. Probatur, quia quidquid percipit auditus, sonus est; quidquid visus color, quidquid gustus, sapor, &c. ergo, &c. Probatur antecedens, quia alioqui ferretur extra latitudinem sui objecti, quod repugnat; Ergo, &c.

LXXVI. Confirmatur ex Aristotele qui hic dicit sensum externum circa sensibile proprium non errare, bene autem circa sensibile commune, id est, sensus externus, visus v. g. circa colorem quæ color est, errare non potest, bene autem circa objectum quod est commune pluribus sensibus, ut ubi, duratio, &c. quia horum species non habet.

LXXVII. Dices forte Aristotelem commodius hoc modo intelligi, *Circa sensibile proprium particulare, id est, quod uni soli sensui est proportionatum, non errare; bene autem circa sensibile commune, id est, quod pluribus sensibus est proportionatum.* Nam ut docet Fromondus de Anima lib. 3. cap. 2. art. 3. in sensus quoque errores quidam cadunt, ut cum remus in aqua inflexus videtur, qui in aëre & oculis & tactu deprehenditur esse rectus: Item cum in collo columbæ ad solem inflexo, varii apparent colores, sive in lumine solis, sive in diversis plumulis varietas ista depicta sit; Ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo Aristotelem ibi non accipere sensibile proprium prout est uni tantum sensui proportionatum; alioqui manifeste falsum diceret: quia manifestum est sensum interdum circa sensibile proprium in particulari v. g. circa hujus speciei colorem, errare: sensibile autem commune ab eodem non accipi prout est plurium sensuum; patet ex dubio præcedenti.

LXXIX. Ad exempla autem Doctoris Fromondii Respondeo sensum ibi non errare, circa sensibile proprium, aut commune sibi & alteri sensui externo; sed circa sensibile sensui interno proprium prout est dicta remi inflexio in aqua, & apparentes illi colores in columbæ collo, aut Inde: unde etiam pro nobis faciunt.

R E S O L U T I O II.

LXXX. **D**ico 2^o, sensus externus per se etiam falli non potest circa rationem particularem sensibilis proprii, per accidens potest, v. g. si sensibile nimium distet; ob distantiam enim non satis distinguimus inter ceruleum & viride, &c. Item si medium

medium non bene sit proportionatum, propter quod baculus non fractus apparet in aqua fractus, in vitro trigono omnia variegata, &c. Item si organum non sit bene dispositum per qualitates illi debitas, defectu cuius infirmi malè iudicant de saporibus, &c.

LXXXI. Probatur 1^a Pars, quia sensus externus repræsentat suum objectum in particulari, prout species nata est illud sensui applicare; sed nata est illud sensui applicare prout à parte rei, ergo illud repræsentat sensus externus prout est à parte rei, ac per consequens per se circa illud falli non potest.

LXXXII. 2^a Pars patet ex præmissis.

D V B I V M V I I.

An sensibile positum supra sensorium, sive sensum, sentiiri possit?

R E S O L U T I O.

LXXXIII. **D**ico contra Scotum quæst. 4. de Anima, Conimbricenses, Cavelum, nostros Complutenenses, & alios peripatheticos ac Thomistas; sensibile positum supra quemvis sensum externum per se loquendo sentiiri potest.

LXXXIV. Probatur 1^o, de visu contra P. Poncium; quia illis, qui dispersione flavæ bilis laborant, omnia apparent flava, eò quod medio colore flavo in retina existente, omnia intueantur; deinde convertentes faciem ad solem, in oculis, etiam clausis, aliquid luminis percipimus, ut experientia docet. 2^o de tactu contra Complutenenses nostros, quia calidum & frigidum supra manum sentitur; dicere autem quod sensatio tactus non fiat in pelle, sed in carne, est longè petitum; quia si detrahatur pellis calidum aut frigidum immediatè sentietur à carne, imò illà non detractà, jam immediatè per poros pellis, sentietur à carne, aut quovis nervo organo tactus. 3^o de odoratu & auditu contra Conimbricenses, quia fumus odoriferus intra nares ab olfactu odoratur, & sonus diffusus usque ad organum, ab auditu sentitur, ut experientia docet. 4^o de gustu similiter experientia docet cibum supra linguam sentiiri: Ergo, &c.

LXXXV. Dixi per se loquendo, quia si sensibile sit opacum, & supra sensorium, opacitate sua impedit illuminationem objecti necessariò requisitam ad visionem, & de hoc sensibili intelligendus est Aristoteles, cum dicit *sensibile supra sensum positum non facere sensationem*: quod verò loquatur indefinitè, non obstat; quia cum de uno solo sensibili visus, videret posse esse dubium, non debuit, an definitè, an indefinitè loqueretur, attendere.

D V B I V M V I I I.

An sensorium ladataur à vehementi sensibili?

R E S O L U T I O.

LXXXVI. **D**ico contra Rubium, Ioannem à Sancto Thoma, Arriagam, Poncium & alios recentiores, sensorium interdum ladataur à vehementi sensibili ut sensibili.

LXXXVII. Probatur quia ex calligatione læditur oculus, & ex disgregatione nimia visus; oculi enim nimia luce ut luce calligant, & visus nimia albedine ut albedine disgregatur. 2^o tactus à nimio calore ut calore, à vehementiori sono ut sono auditus, à nimio fœtore ut fœtore odoratus, à nimia amaritudine ut amaritudine gustus, interdum læditur, ergo & à vehementiori sensibili ut sensibili sensorium interdum ladataur: consequentia patet. Antecedens experientià probatur.

LXXXVIII. Confirmatur ex Philosopho, qui dicit hîc, *à vehementiori sensibili lædi sensum, sive sensorium*.

LXXXIX. Dices nimium sensibile lædere sensorium, non ut sensibile, sed quatenus producat aliquas qualitates nocivas distinctas à sua specie: ita Oviedus & Poncius; alii autem ut Arriaga, quatenus rapiendo potentiam ad internam operationem attrahit ad illam plures spiritus vitales. Sed

XC. Contra, licet per possibile, vel impossibile, sensibile vehementius, nullas alias qualitates præter suas species in sensorium emitteret, adhuc illud læderet; quia credibile non est, non calligatos oculos in summâ luce non productivâ aliarum qualitatum; visum non disgregandum intruendo summam albedinem, quæ verisimilius non est productiva aliarum qualitatum, quàm speciei: auditum ex vehementiori sono in vacuo editum non turbandum: tactum ex nimio calore non productivo alterius, quàm suæ speciei, non lædendum, &c. illa enim objecta in quantum non sunt redacta ad mediocritatem & temperiem proportionatam temperiei & activitati mediocri sensus, sunt læsiva & dolorifera: ex quibus ulterius patet ad Arriagam, quia, adhuc immotis illis spiritibus, illa contingerent.

XCI. Obijcies tamen, species non sunt contrariæ sensorio, sed perfectivæ; vel, ut loquitur P. Poncius, species non sentiuntur à sensui, nec tollunt aliquam qualitatem ex qualitatibus naturalibus illius; Sed si sensorium interdum læderetur à vehementiori sensibili ut sensibili læderetur ratione specierum, &c. ergo, &c.

XCII. Respondeo species vehementiores seu vehementioris sensibilis ut sensibilis esse contrarias debitas temperiei sensorii; ac proinde tollere aliquam qualitatem ex qualitatibus connaturalibus illius, quatenus scilicet nimis vehementes sunt, & improporionate secundum mediocritatem mediocri temperiei sensorii, ut experientia docet.

XCIII. Instabis ex P. Poncio, oculus cæci, non minùs offenditur à sole, quàm oculus videntis; sed non offenditur ratione sensationis; ergo nec oculus videntis sic offenditur.

XCIV. Respondeo concedendo totum, quia non dicimus oculum lædi à visione, sed à specie visibili; quæ cum recipiatur, tam in organo visuali cæci, quàm non cæci, utrumque lædit; hujus tamen magis, quàm illius; quia cum in cæco sint corruptæ qualitates ad videndum necessariæ, illas non corrumpit, sed tantum aliquas ex remanentibus: in non cæco verò illas corrumpit, vel saltem debilitat. Sed quid de vehementiori specie soni in aure surdit? verisimilius est illam, vel potius sonum, ut infra, pertingere ad organum particulare, cum illud non lædat, ut species visuales oculum cæci.

DISPV-